

quatuor. corpore longior, & cauda porrectior est, sed proceritate breuior. celeritate æque præstat, quamvis crura habeat breuiora. mollis enim & agilis est, prosilirecꝝ longius ob eam rem potest.

De mulis, quos terra Syria fert.

Caput XXXVI



Vnt in Syria, quos mulos appellat, genus diuersum ab eo, quod coitu equæ, & asini procreatur, sed simile facie. quomodo asini syluestres, si militudine quadam nomen urbanorum accepere. & quidem ut asini illi feri, sic muli præstat celeritate. Procreant eiusmodi mulæ suo in genere, cuius rei argumēto illæ sunt, quæ tēpore Pharnacæ patris Phar nabazi in terram Phrygiam uenerunt, quæ adhuc extant, tres tamen ex nouem, quot numero olim fuisse aiunt, seruantur hoc tempore.

De natura, & uarijs generibus murium, deq; pullorum numerositate.

Caput XXXVII



Vrium generatio mirabilis præter cætera animalia maiorem in modum est, tum numero, tum celeritate. Iam enim foemina prægnante in uase miliario aliquādo occupata, paulo pōst reserato uase, musculi numero uiginti & centū reperti sunt. Mirum etiā percipimus ortum redundantis agrestis murium generis. locis enim compluribus agri tam inaudito modo oriri solent, ut parum ex uniuerso frumenti relinquatur. tam citò absuntur, ut nonnulli mediocres agricolæ, cum pridie metendum statuerint, postridie mane cum messoribus accedentes ad segetem, absumptam inueniant totam. interitus autē minime euénit ratione. paucis enim diebus omnino abolentur, quanquam superiore tempore homines uincere uel suffiendo, uel sues, ut latibula effoderent, admittendo, nō possent. Quinetiam uulpes eos uenantur, & cati sylvestres in primis: sed tamen superare copiam, & celeritatem prouentus nequeūt: nec aliud quicquam omnium uincit, nisi imbræ. ijs enim quamprimum intereunt. Terre Persicæ parte quadam mure foemina rescissa, foetus foeminini prægnantes compriuntur. Sunt qui uehementer confirment mures, si salem lambant, impleri sine coitu. Aegyptijs muribus prædurus ferè, ut herinaceis, pilus est. Sunt etiā alij, qui erecū bipedes ambulent. habent enim crura posteriora longa, priora breuia, ortus eorum quoq; numerosus est. Sunt uel alia genera muriū plura, sed de ijs hactenus,

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE

HISTORIA ANIMALIVM LIBER SEPTIMVS,
INTERPRETE THEODORO.

De signis, quæ puerorū feminis emissionē, puellarumq; viripotentia preueniunt. Caput I



E HOMINIS generatione, tum prima in utero, tum posteriore in luce, & usq; in senectutem, quemadmodū se habeat, quæ suæ naturæ ratione euéniant, loco hoc dicimus. Quæ inter mārem & foeminā differētia sit, & quibusnā partibus constet, ante expositū est. Mas autē primum semen genitale magna ex parte incipit ferre, anno peracto bis septimo: simul etiā pubescere incipit eo tēpore, ut stirpes semen laturas primū florere Alcmeon.

Crotoniata ait. uox item per id tēpus mutari in sonū asperiorē, inæquabilioremq; incipit, quanq; nondū grauem. necq; enim acuta præterea est, necq; tota æquabilis: sed similis fidibus incōtentis & asperis, quod caprire denominat. idq; potissimū incidit ijs, qui rem uenereā incipiūt agere, ijs enim uox trāsit in sonū virilem. Abstinen-

*eis r̄as ūsōpū
n̄lukīas, per
ætates poste-
riores.*

tibus uero econtrario fit, et si curā adhibeant (quod aliqui faciunt ex ijs, qui choreis indulgēt) uel longo seruari tempore sine magna mutatione potest. Mammæ etiam extuberant, & genitale non solū magnitudine, sed etiā specie proficit. euenit porrò id tēporis, qui tam fricari, cōrectari cōperint, ut cum semen emittūt, non modo uoluptate, uerū dolore quoq; afficiātur. Fœminis etiā per id tēpus exurgunt ubera, quod fratrare dicitur. & quæ mēstrua uocātur, erumpūt: quod sanguis quasi recens occisi animalis est. Quæ autē alba dicuntur, admodum etiā puellis eueniunt, & magis si cibo utuntur humidiori. Hæc incrementū impediunt corporis, & puellam extenuāt. sed menses tunc plurimis fiunt, cum iam ubera ad duos digitos prominēt, & uox eodē tempore puellarū mutatur in grauiorē. Deniq; cum mulier uocis acutioris, quam uir sit, tum natu minores acutius, quam maiores sonāt, ut & pueri, quam uiri acutius. Sed uox fœminæ acutior est quam maris, & fistula puerlarum acutior, quam puerorū est. Fit etiā, ut per id tēpus custodiri præcipue debeat. maxime enim ad usum rei uenereæ incitat, cum hæc incipiunt. Quod si iam inde nihil plus commouere temperēt, quam corpora ipsa nullo adhuc usu uenereo, sed sponte mutetur, sequi seruari cōp; temperātia solet per ætates superiores. nam & quæ admodū puellæ concumbūt, libidinosiores euadunt. & mares siue altera parte, siue ultraq; minus cauerint, propēsiores eodem efficiuntur. Meatus enim laxantur, redunt cōp; eo corpus lubricum, & simul uoluptatis, qua olim gestirent, memores, desiderio mouētur præteritæ contrectationis. Prodeunt nōnulli iam inde à primo ortu naturæ impubes, infæcūdīcōp; propterea quod parte sui genitali fuerint deprauati. Mulieres etiā simili modo impubes à natuitate possunt creari. Habitus quoq; tum marium, tum fœminarum mutatur, ut sint uel sanitati, uel morbo habiliores: & uel graciles uel pleni, beneq; uegeti. nam à pube ex macilentis crassescūt, euadunt cōp; saniores: alijs contrā. quod parimodo puellis etiā euenit. qui enim pueri, aut quæ puellæ excrementis antea corporis redundabant, cum ea ipsa excremēta unā cum semine, aut mensibus secernātur, saniore ob eam rem corpore efficiuntur, atq; uegetiore. Iam enim ea, quæ sanitati alimentoq; obstant, exeunt. At uero quibus contrā antecesserit, ijs corpora graciliora, & morbis opportuniora redduntur. excernitur enim de ipsa natura & bene habitis, cum aut semen, aut menses prodeunt. In pueris item diuersitas uberum est: alijs enim admodum magna, alijs exigua sunt. euenit; sane, ut corpora immodice crescāt, cum puellæ excremētis redundāt, futuris enim adhuc & nondū profluentibus menstruis, quo plus continetur humoris, eo magis efferri, sursumq; impelli necesse est, donec infrā erumpat. Itaq; quod interim incrementum mammæ acceperint, seruant postea. maribus etiā mammæ cōspectiores & fœminatores, tum iunioribus, tum senioribus efficiuntur, qui humidiiores, lœuiores, nec uenulenti sunt, eorumq; ipsorum, ijs magis qui fusci, quam qui cādidi sunt. Semen profecto infœcundū usq; ad ter septimum annū est. mox prolificū quidem est, sed exigua imperfecta cōp; generat iuniores, & mares, & fœminæ, ut in cæterorū quoq; animaliū genere plurimis euenit. cōcipiunt quidē facilius natu minores, sed laborāt in puerperio uehemētius. corpore etiā minus magna ex parte perficiuntur. & senescunt celerius mares salaces, & mulieres quæ frequentius pariant: nam ne incrementū quidem post tertium partum effici posse uidetur. sedātur autē, temperanturq; melius, quæ in rei uenereæ usum luxuriant, cum partum multoties exercuerint. Sed post annū ter septimum mulieribus quidē opportune iam procreatio est. Sed uiris item accedere aliquid potest ad prolem perfectiorem. Semina infœcunda sunt quæ tenuia. fœcunda, quæ grandinis speciem referūt: eademq; potius marem foetificant, contrā tenuia, nec globulenta, fœminam gignūt. Mentum etiam maris ea ætate pilis integratur.

De men-

De menstruis mulieris.

Caput II

Profluxuum autem mensium decrescente luna contingit: quamobrem nonnulli cauillo sexum foemineum lunae tribuunt, quoniam simul, ut illa decrescat, & mulier purgetur, moxque repleantur ambae, eveniat, paucis menstrua singulis mensibus mouentur: sed uno intermissione plurimis. facilius agitur cum ijs, quibus breui tempore, hoc est biduo aut triduo profluunt: sed quibus longum protrahitur, difficilius: laborant enim id temporis, alijs nanque uniuersim haec purgatio sit, alijs paulatim. Attamen omnibus corpus grauatur, quandiu effluat humor. Multis etiam cum menstrua citantur, & eruptioni propinqua sunt, strangulationes uuluarum sequuntur, & crepitus, donec erumpat. Conceptus mulieribus a profluxo menstruorum sua natura contingit. & quae ijs carent, steriles magna ex parte existunt. uerum fieri potest, ut aliquae etiam sine eorum profluxo concipient, uidelicet quibus tantum humoris colligitur, quantum ijs, quae purgantur, restare solet: quanquam non tanta copia, ut & foras possint profluere, nonnullae etiam dum profluunt menses, concipiunt, postea concipere nequeunt: quibus uulva statim a purgatione comprimitur. Sunt quibus prægnantibus etiam menstrua usque in postrem gerendi tempus euenant, quibus accidit, ut parua pariant, & proles aut minus uitalis, aut infirma procreetur. Multis etiam desiderio coitus, quo uel iuuenilis aetatis ratione, uel quia longo tempore abstinuerint, tenentur, descendunt uteri. & menstrua saepe ter in mense citantur, donec concipient: quo facto ascendunt, & suo situ constituuntur. nonnumquam etsi cætera bene se habet uterus, humidus tamen est. respuit semen genitale, si humidus sit. Omnia autem animalia (ut ante dixi) mulieribus inter foeminas plurima haec purgatio euenit. nam ijs quae non pariunt animal, nihil tale mouet, propterea quod hoc materiae superuacuum uertitur in corporis alimentum. Sunt enim nonnulla maribus suis maiora, atque etiam alijs in corticem, alijs in squamam, alijs in frequentiam pennarum absuntur. Terrestribus quoque animal parientibus, in pilos, & corpulentiam transit: homo enim laevior ceteris est: atque etiam in urinam diuertitur. plurima enim ex ceteris largius mingunt, & crassius. At mulieribus uice eorum, quae dixi omnium, quantum superuacuum sit, in purgationem mensium uertitur. quod in maribus quoque similiter fieri modo percipimus, seminis genitalis ratione. plurimum enim omnium animalium emitit, comparatione dico magnitudinis suæ: & uero inter ipsos mares, qui humidiiores natura sunt, nec ualde carnosæ, plus reddunt: atque etiam plus candidiores, quam fuscæ. nec secus in mulieribus fit. corpulentis enim multum menstrui excrementi in corporis alimentum transit. & in usu quoque rei uenereæ candidiores sua natura plus, quam fuscæ euaporant. præparatur hoc amplius usu ciborum humidorum, & acrum.

De indicijs conceptionis, & quot dierum spacio mas, quot item foemina in utero moueat, deq; abortionibus.

Caput III

40

Indicium mulierem iam concepisse, cum statim a coitu locus siccescit. fit certe, ut si oris, quo concipitur, labra sunt laevia, inepta sunt ad conceptum: labitur enim & effluit semen. nec uero si crassa sunt, commode usum præstāt; sed si ad digitū tactum asperiuscula, & hærentia sint, ^{ελαῖων οἶνος} atque etiam si tenuiora, ita commode ad conceptionem habēt. Talis igitur ^{vō, oleo iuniperino, confundit} præparandus est uterus, qui concipiat. quod si facere ne concipiatur, placet, contraria agendum est. nam si labra sunt laeviora, concipere nequeat. Quamobrem nonnullæ ut semen incidat, ante uulvā ex oleo iuniperino, aut ex cerusa, thure uē, excīsum ^{Gaza cedrum} iuniperō.

pientes oleo, illinunt, sed si in septimum diem intus permanferit, conceptum iam esse certum est, nam quae effluxiones uocantur, intra tot numero dies fieri solent. purgationes autem accedunt plurimis, cum conceperint, ad tempus quoddam, scilicet triginta dierum, maxime si concepta foemina est, quadraginta si mas. A partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi uolunt, quanquam non aequa ita diligenter eueniunt. At uero post conceptum, & dies, quos modo dixi, non item secundum naturam inferius agitur, sed in ubera transitur, & lac efficitur. Cuius nota inter initia exiguo quodam, & araneæ propemodum specie apparet in mammis. cum iam conceperint, sentiunt præcipue suis sibis. hæc enim nonnullis statim pleniora efficiuntur, quod ijs, quæ graciliores sunt, euidentius accidit. Inguina etiā sentiunt, & conceptui argumēto esse possunt. Mares foetus magna ex parte circa quadragesimū diem, dextro potius latere mouētur, foeminæ sinistro, circiter nonagesimum. Nihil tamen certi in his affirmari licet, multis enim ferentibus foeminam, motus agitur in dextro, & contrā in sinistro, gerentibus marem. Sedenim hæc, & reliqua huiuscmodi, ut differunt, eo quo magna ex parte & magis minus uerue accidit, sic accipimus. Finditur etiam foetus hoc eodem tempore, cum ante caruncula informis constaret. Effluxiones uocantur, quæ intra septimū diem corruptiones incidunt. Abortiones autem, quæ intra quadragesimum. Et quidem plurimi foetus intra tot numero dies deprauatur. Mas qui quadragesimo die exierit, si in quoduis aliud mitatur, diffunditur, atq; aboletur. Sed si in aquam frigidam, cogitur, consistitq; ueluti in membranula, qua rupta, foetus ipse apparet magnitudine foeminae maiusculæ, & membra iam inde discreta, tum cætera omnia, tum genitalia constant: & oculi quemadmodum in cæteris animatibus prægrādes. Sed foemina, quæ intra tertium mensem eruperit, indistincta est: quæ autem quartum adepta est mensem, finditur, & reliquam distinctionis effigiem breui tempore accipit. Cum itaq; foetus in utero formatur, foemina tardius quam mas perfectionem quarunq; partium recipit, & saepius in decimum mensem, quam mas protrahitur. Sed cum in lucem prodierit, foemina oxyus, quam mas & accrescit, & ætate floret, & senectute maceratur, & magis, quæ pluries pariunt, ut dictum iam est.

De ijs, quæ à conceptione ad partum usq; mulieribus eueniunt, quo uerue tempore pariant, quoq; uno partu parere possint. Caput 1111

30

Cum semen conceperit uterus, statim se cōtrahit, donec ad septimum mensem uentum sit. octauo iam adaperitur, atq; dehiscit. & partus si uiuit, descendit mense eodem, sed si mortuus est, neq; ipse descendit, nec uterus per id tempus dehiscit: idq; indicium facit, foetum haud quaquam esse uitalem. Euenit prosector, ut mulieres à conceptu corpus totum grauentur, & oculorum caligines, & dolores capitis moueantur, quæ alijs maturius, & ferè die decimo accident, alijs serius, prout magis minus uerue ex materia superuacula tentatur. Nauseæ item, & uomitus plurimas capit, & præcipue quibus purgationes constiterint, necdum ad ubera transeant. Aliquæ igitur principio magis laborant, aliæ post, cum iam foetus plenus creuerit. Saepè etiam multis destillatio urinæ ad postremum infestat, sed magna ex parte, quæ marem ferunt, facilis exigunt, minusq; pallēt. contrā, quæ foeminam, sunt enim pallidiores, & gravius degunt. Multis etiam tumores, extuberationesq; carnis in cruribus incident, sed tamen contrā etiam nonnullis contingit. Solent appetitus uarij grauidis euenerere, citoq; commutari, quod picare quidam à pica aue denominant. & nimis cum foetu sexus foeminei ferunt, audius appetunt, minusq; re frui iam præsente, quam cupierint, possunt, fastidiunt enim statim, quod modo uehemēter appeterent. Paus

cis

cis contigit, ut melius habeant, cum uterum gerunt. Sed præcipue tunc fastidiunt, tædioꝝ fatiscunt, cum foeti capillus oriri incipit. Pili congeniti grauidis defluunt, paucioresꝝ redduntur. contrâ qua parte pilos minime habere solebant, ea magis accipiunt. plus etiam motus magna ex parte mas in utero infert, quam foemina, & celerius prodit. foeminæ enim partus tardior est. Dolor etiâ ex foemina continuus, sed obtusior: ex mare acer, & longe molestior. Quæ paulò ante partum concumbunt, faciliter pariunt.. Parturire interdum mulieres uidentur, cum tamen tempus non sit, sed quoniam foetus inuertit suum caput, ideo initium hoc esse parturiendi uidetur. Sed cum cætera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant (Vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini uni multiplex datum est: nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam undecimū tangunt. foetus qui maturius, quam septimo mense prodeat, nullo pacto uitalis est. qui septimo, uitalis quidem hic pri-
 10 mus exit, sed magna ex parte infirmior: quamobrem cunabulis ex lana eum ob-
 uoluunt, & fascijs alligant. Meatus etiam nonnulli infissi, ut aurium, aut narium sæpenumero generantur: sed accrescenti articulantur infanti, & demum suam for-
 mam recipiunt. & pleriq; de his quoq; septimo natis uiuere atq; adolescere possunt.
 Qui autem mense octauo nascuntur, uiuere ac adolescere in terra Aegypto possunt,
& quibusdam alijs in locis, ubi mulieres fertiliores sunt, multosq; simul facile, & fe-
 20 runt & pariunt, etiâ si monstrosi sint. sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi per-
 pauci seruantur. unde fit, ut si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur,
 sed mulierem sui conceptus initium latuisse. infestantur maxime mulieres mense
 quarto, octauoꝝ. & si uel quarto, uel octauo foetus perierit, ipsæ quoq; magna ex
 parte intereunt. itaq; fit, ne solum mense octauo nati non uiuant, sed etiam ipsis e-
 mortuis periculum, quæ pariunt, subeant. Simili modo & qui diuturniores, quam
 undecimo mense nasci uidentur, latere putatur. latet enim mulieres conceptus ini-
 tium, si cum ante inflatus fuerit uterus, ut sæpe accidit, post coierint, atq; concepe-
 rent. hoc enim principiū esse sui conceptus existimat, quod simile indicium attulit.
 Ita multiplex perficiendi tempus, pariendiꝝ diuersum homini datum est. Et cum
 30 alia singulos pariant, alia plures, genus humanū in ancipiēt est. Nam quod plurimū
& locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt. Sed sæpe & locis pleriq;
 geminos etiam, ut in terra quoq; Aegypto fieri certum est. pariunt etiam tres, &
 quatuor. & quidem locis nonnullis ualde ita fit, quod dictum iam est, sed quinque
 complurimū nascuntur. Iam enim hoc pluribus euénisse conspectum est. & quæ-
 dam uiginti, partibus quatuor ædidiit: quin nos enim singulis partibus enixa est, ma-
 iorq; eorū pars enutriri & adolescere potuit. Et cum in cæteris animalibus gemini
 nati, etiam si mas & foemina sint, nihilo minus enutriātur, seruenturq; quam si ma-
 res ambo, aut foeminæ sint: in genere certe humano pauci gemini seruantur, si alter
 mas sit, alter foemina. Mulier & equa omnium maxime animaliū grauidæ coitum
 40 patiuntur, cætera ubi grauida fuerint, fugiunt mares, ea scilicet quorū natura super-
 foetare more leporis recusat. uerum equa nunquā superfœtat, sed magna ex parte
 unum tantummodo generat. At uero in muliere raro quidem euénit, ut superfœtet,
 sed factum tamen aliquādo est. Qui itaq; longo post tempore sint concepti, nihilo
 perfici possunt: sed præmaturius dolorem, quo ipsi, & primus foetus intereat, mo-
 uent. Iam incidit, ut facta corruptioē duodecim superfœtata puerperia egererent.
 At uero si proxime à primo conceptu secundus sit factus, absolui ædiꝝ potest, quod
 superfœtarit, ut quasi gemini nasci uideantur: quomodo Herculē & Iphiclem pro-
 creatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterum suo
 marito, alterū adultero similem peperit. Iam & cum geminos quædam ferret, ter-

tum superfœtauit: & cum tempus pariendi iustum iam esset, primos uitales peperit, secundū quinto mense elisit, qui statim mortuus est. Altera cum primum septimo peperisset, qui mortuus est, mox duos iusto mensium numero ædidit, qui uixerunt, quædam etiam sub abortu conceperat, atq; alterum abegerunt, alterum continuerunt, pertuleruntq; ad partum. plurimis si concubuerint mense octauo, infans mucore oppletus exit. esculentorū etiam, quæ mater comederit, sœpe gerulus uenit in lucem. & si sale immodice usa est, ipse sine unguibus nascitur.

De lactis bonitate, & malignitate, deq; menstruorū muliebrium fine. Cap. V



Ac quod ante septimum mensem contractū est, inutile est, sed simul 10 infans natalis est, & lac esse utile incipit. prius autem falsum etiam est, ut pecoris. Vino præcipue cum uterum ferunt plurimæ infestantur, dissoluuntur enim si biberint, atq; debilitantur. Princípium & finis mulieribus prolis recipienda, maribus præbenda, seminis & menstruorū emissio est. Sed neq; cum incipiunt statim prolificā sunt, neq; cum desinunt, & iam pauciora sunt, & infirmiora. Quanam ætate incipient menstrua & semen, dictum iam est. Sed desinunt plurimis menstrua circa quadragesimum annum: quod tempus quæ excesserint, ihs ad quinquagesimum seruantur. etiam nonnullæ eo tempore pepererunt, sed ultra hoc tempus nulla potest protrahere.

Visquequo maribus sit generandi facultas, & de prolis similitudine cum parentibus, uel cum alijs. Caput VI

Mares plurimi ad sexagesimum generant: quem si excesserint, ad septuagesimum usque procedunt. Et iam quidam annos septuaginta nati, genuerūt. Euenit sane multis & mulieribus & uiris, ut qui coniuncti inter se nequeat procreare, ubi dissociati se iunxere cum alijs, queant, quod idem in maris quoq; aut fœminæ procreatione nimirum euenire certum est. plerunq; enim tum mulieres, tum uiri, quandiu cum eisdem iunguntur, fœminam tantum, marem uero procreant, se iuncti autem contrà. Aetatis etiam ratione immutantur, ut iuuenes inter se fœminas generent, seniores facti mares, aut contrà. Ratio quoq; generandi omnino discrimen hoc idem recipit, ut iuuenes nihil procreent, seniores iam incipient generare. Aut contrà, ut qui antè possent, post nihil possint fœticare. Sunt etiam aliquæ mulieres, quæ uix concipiunt: sed si conceperint, perficiant, atq; ædant. Aliæ contrà, facile quidem concipiunt, sed seruare non possunt. Sunt & uiri, qui non nisi fœminā procreent. & mulieres, quæ non nisi marem: & contrà, ut de Hercule fabulantur, qui inter duos & septuaginta liberos fœminā unam tantummodo genuit. Quæ concipere nequeant, si uel cura adhibita, aut aliquo casu conceperint, fœminam magna ex parte pariunt potius, quam marem. Multis etiam uiris euenit, ut cum antea possent generare, post nequeant, deinde rursus facultatē recipiant generandi, gignuntur læsi quoq; ex læsis, uerbi causa, claudi ex claudis, & cæci ex cæcis. deniq; similes sœpen numero in re, 40 quæ præter naturam comitetur, & signa habentes sibi cognata hæreditaria, ut uerucas, ut næuos, aut cicatrices, aut quid aliud generis eiusdem. Iam tale quid uel tertia prole post regeneratum est, ut cum quidam suo in brachio puncti notam haberet, filius non id retulit, sed nepos ea corporis parte nigritiem quandam habens confusam prodijit. sed raro hæc eueniunt. Integri autem ex mancis ne gignantur, nulla res obstat, & sœpiissime ita agitur. similes etiam aliqui parētibus, aut auis, suisq; maioribus generantur. Aliqui similitudinis nihil referunt. redditur etiam uel post plures eiusdem prosapia, ut in Sicilia eius, quæ adulterium cum Aethiope commiserat,

miserat, filia non colorem patris æthiopis retulit, sed qui natus ex hac est, is autem æthiopem regeneravit. Fœminæ magna ex parte matri, mares patri proueniunt similes, sed sit etiam è diuerso, ut fœminæ patri, mares matri similes procreentur. Particulatim etiam similes fiunt, ut alia corporis parte similes sint patri, alia matri. gemini uel dissimiles inter se nati iam sunt, sed plurimi magna ex parte similes prodeunt. nam & quædam cum septimo die à partu concubuisse, concepisse, perevit similem superiori quasi geminū. Naturæ etiam ratione aliæ sibi, aliæ suo marito similes generant, ut equa pharsalia cognomine iusta.

10

Quomodo semen genitale informetur.

Cap. VII



Vm semen genitale exit, spiritus antecedit, & quidem ipso exitu constat agi cum spiritu, nihil enim procul sine uiolenta spiritali projici potest. Tum insinuatum in utero, diuq; contentum, membrana obducitur: quippe quod antequam discernatur, exeat uelut ouum in sua membranula conctum, detracto putamine. membrana autem ipsa uenit reserta est, omnia uero tum natilia, tum pedestria, tum etiam uolatilia, siue animalis, siue oui forma proueniunt, simili modo gignuntur, nisi quod alia umbilicum habeant uuluae adhærentem, uidelicet quæ animalis forma enascuntur, alia ouo, alia utroq; modo, ut in quodam piscium genere: & alia quasi membranis continentur, alia secundis, primum intra ultimum inuolucrum animal gignitur, mox altera membrana obuelat, plurima quidem sui parte uuluae adhærens, sed parte etiam seiuncta, & aquam continens, humor autem inter has cruentus aquosusq; est, quem mulieres proferum uocant.

De alimento animalis in utero existentis, deq; hominis statu in eodem:

Caput VIII



Vgentur animalia omnia quibus est umbilicus, per ipsum umbilicum, hic acetabulis uuluae adhæret, si sunt. Sed si laevis sit uulua, ipsi uuluae adhæret uena subiecta, situs in utero quadrupedum omnium extensus est, expedium autem obliquus, ut piscium, bipedium uero inflexus contractusq; ut auium, homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. omnibus æque animalibus caput primum superius est: sed cum creuerint, & iam exitum appetant, deorsum deducitur. Ita fit, ut omnibus partus secundum naturam in caput, contra naturam in pedes, aut inflexo circumactoq; corpore agatur. quadrupedes uel excrementū iam inde habent, & alui, & uescicæ, alterum in postremo intestini, alterum in ipsa uescica. Quibus in uulua acetabula sunt, foetus accrescente, acetabula ipsa subinde minuuntur, postremo abolentur omnia, umbilicus autem uelut putamen est circa uenas, quarum origo ab utero est, aut acetabulis si habentur, aut uenæ cōmissa est. Sunt foeti maiori, ut boui quatuor uenæ, minori duæ, minimo una, ut auibus, pertinent duæ ad foetum per iecur, quæ portas appellant, ortæ à uena maiori, reliquæ duæ ab aorta, qua finditur, & duæ de una efficiuntur. Vtruncq; uenarum par membranulae ambiunt, & membranulas ipsas ambit uelut putamen umbilicus. Collabuntur subinde uenæ, & quo foetus amplius creuerit, eo adductius ipsæ contrahuntur. Foetus autem grande-

scens caua uteri subit, ubi palpitans iam sentitur, & circa genitale parentis interdum uoluitur.

K. 2

De doloribus mulierum in partu, & quæ facile, quæ ué difficulter pariant. Cap. IX



Vm mulieres parturiunt, dolores multas quidem in partes incubunt, sed plurimis ad alterutrum femur. Cæterum quibus aluum termina uehementer exercent, oxyssime pariunt. quæ lumbos dolent, uix pariunt. quæ imum uentrè, expeditius. Si mas nascitur, profluit sanies diluta pallidiuscula: sed si fœmina, cruenta: uerum ea quoq; præhūmida est. sed fieri quoq; potest nonnullis, ut eorum neutrū accidat. Cæteris animalibus partus non laboriosi eueniunt. minus enim cum parturiunt, infestari uidentur. At mulieribus dolores uehementissimi incident, & præcipue stabilibus, & sellularijs, & quibus non bona latera sunt, neque facultas retinendi spiritus suppetit. 10 difficultius etiam ædunt, si interea dum per uim retinent, coactæ eruperint respirationem. primum aqua illa subter cutem fusa, per foetus motionem, ruptis membranis effluit, deinde foetus inuerso utero, & secundis interna euoluentibus, foras uenit in lucem.

*De obstetricis cura, & de infantis exitu, de tarditate durationis ossium,
& dentium amissione.* Caput X



Am uero & obstetricis officium pars ingenij, perspicacisq; intelligen-
tiæ est: non solum enim difficultati partus opportune expediteq; suc-
currendum est, sed etiam contra ea quæ accident, protinus agendum
ingeniose. & in secando deligandoq; umbilico infantis prudentia re- 20
quiritur, & peritia, nam si simul secundæ quoq; exciderint, uellere umbilicus cum
secundis alligatur, superiusq; præciditur, quâ autem deligatum est, cohærescit, &
pars continua decidit, si copula, amentumq; dissoluatur, foetus sanguine effuso e-
moritur. Sed si secundæ non statim cum foetu exierint, dum intus ipsæ, foris autem
infans est, deligato umbilico secantur. saepe uisus est puer emortuus nasci, cum ei
infirmo, priusquam deligaretur umbilicus, sanguis in umbilicum, & circa efflu-
ret. Sed iam aliquæ obstetrics factæ peritiores, reprimunt intrò de umbilico san-
guinem, quo facto statim infans, qui modo exanguis deficiebat, recreatur, uitæq;
restituitur. Nascuntur, ut dictum est, secundum naturam cætera etiam animalia
uersa in caput. sed pueri manus quoq; ad costas porrectas, extensasq; habent. Qui 30
cum exierint, uocem statim emitunt, & manus in os admouent. excrementum e-
tiam reddunt, aliij statim, aliij breui, sed omnes intra diem: quod excrementū pluris,
quâm pro infantis magnitudine est. papauerculū hoc mulieres uocant, colore cru-
entum, atq; admodum nigrum & piceum est, mox lacteum iam & albidum red-
ditur. fugit enim confessim ubera infans. uocem antequam egrediatur, nunquam
emittit, etiam si cum difficulter egreditur, caput extet, corpus intus sit totum. Qui
bus purgationes partum anticiparint, difficultius liberantur. sed si à partu purgatio-
nes parcus sequantur, nec largius, quam primæ, necq; ad quadragessimū diem per-
seuerauerint, efficitur ut mulier ualidior sit, & celerius possit concipere. Infantes au-
tem primis quadraginta diebus neq; rident cum uigilant, neq; lachrymantur: sed 40
noctu & per quietem utruncq; interdum faciunt. nec uero sentiunt magna ex par-
te cum scalpuntur. Plurimam huius temporis partem dormiunt. cæterum in dies
quo subinde auctiores fuerint, eo magis ad uigilandum immutantur. Somniare e-
stiam eos constat, sed serò meminisse possunt imaginum. Cæteris quidem animali-
bus discrimin ossium nullum est, sed omnia perfecta iam inde à nativitate proue-
niunt. at pueris sinciput molle est, seroq; duratur. & cum cætera animalia nascan-
tur cum dentibus, pueri septimo mense dentire incipiunt. primum ædunt primo-
res,

res, alij superiores prius, alij inferiores, deniq; omnes maturius dentiunt, quorum nutrices lac habent calidius.

De aduentu lactis in muliere, & malo pilari, deq; lactis duratione. Cap. XI



Ost partum, purgationesq; lactis copia excitatur, & nonnullis effluit non solum de papillis, sed etiam passim per ubera. aliquibus etiā per alas, edurantq; in posterū globuli, quoties humor non coquatur, nec exeat, sed redundet. ubera enim tota fungosa ita sunt, ut si in poculo pilum forte hauferit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malū

- 10 pilare appellant, nec sedatur donec pilus uel pressus exeat sponte, uel cum lacte *τριχία pilare* exugatur. Seruatur lac donec mulier concipiat, tum desinit atq; extinguitur, tam in *malum in mam homine*, quam in quadrupedum uiuiparo genere. Quandiu lac emanat, purgatio mis. nes magna ex parte non fiunt: magna inquam ex parte, quoniam iam quibusdam lactantibus facta purgatio est. Sedenim natura ita fert, ne humor locis pluribus simul erumpere soleat, nam & mariscas habenti, deteriores accidunt purgationes. & quod in nonnullis accidit, cum delapsus humor à lumbis per anum excernitur, antequā uterum subeat, idem euenit. Quibus dum etiam purgationes non fiunt, inciderit uomitus, securius exigunt.

Pueros ut plurimum ante septimum diem conuulsione interire. Cap. XII



20 Olent pueri plurimi conuulsione excipi, & præcipue corpulentiores, & lacte uescentes copiosiore, crassioreq; & nutricem lactentes succi plenam, & corpulentā, nocet etiam ad hoc morbi genus uīnum, magisq; nigrum quam album, & quod minus dilutum est, atq; etiam ex cibis, qui inflent, plurimi obsunt. Et si aliud substiterit, nocuū est. Plurimi ante septimum diem intereunt. unde fit, ut nomina septimo die imponantur, tanquam saluti iam pueri magis credamus. plenilunio etiam infestantur hoc malo periculosius. & si à scapulis conuulsio oriatur, in angusto spes est.

30 ARISTOTELIS STAGIRITAE DE
HISTORIA ANIMALIVM LIB. OCTAVVS,
INTERPRETE THEODORO.

De uarietate actionum, & uictus omnium animantium. Caput I



40 ENERATIO, & reliqua animaliū natura ita se habet. Acti ones autem & uitæ, pro moribus uictuq; differunt. sunt enim uel in plurimis cæterorū animalium, uestigia morum animi hu mani: quanquā hæc apertius in homine discernantur. Inest ur banitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia. atq; etiam prudentiæ imago inest in multis, quemadmodū cum de partibus docerem, exposui. alia enim eò quod magis, minus ue habeat, comparatione hominis differunt: homoq; ipse cum multis alijs animalibus ita dissidet. quippe cum aliqua ex his magis in homine habe antur, aliqua in cæteris animalibus latius, alia uero differant proportione. ut enim in homine ars, sapiëtia, prudentia, sic in nonnullis brutis inest uis quædam eiusmodi altera naturalis. constat hoc ita esse planè argumēto puerilis ætatis, in qua futurorū habitum, quasi uestigia & semina uideris. & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à belluarū anima propè dixerim, itaq; nihil remotum à ratione est, si